DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ERYSIPELATE.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS SMITHWICK,
HIBERNUS,

Id autem, quod Ερυσιπελας vocari dixi, non solum vulnere supervenire, sed sine hoc quoque oriri consuevit, atque interdum periculum magnum adfert; utique, si circa cervicem aut caput constitit. *Celsus, Lib.* 5. *Par.* 33.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

C

Viro eximio, eruditiſſimo,

HENRICO CULLEN, M. D. F. R. S. Ed.

Noſocom. Reg. Edin.

Medico,

Artem ſalutiferam feliciter excolenti,

Qui plurima beneficia in me contulit,

Per omne tempus,

Quo ſtudiis medicinae,

In hac Academia Alma,

Incubuiſſem ;

Atque

OBERTO DOBBYN,

Nec non,

THOMÆ LLOYD,

Armigeris,

Juris conſultis, urbis Limerici, huic,

Et

Waterfordiae, illi

Merito propraetoribus ;

Hoc opuſculum,

Animi quidem grati,

Et ſummae obſervantiae,

Teſtimonium,

Sacrum eſſe volui

AUCTOR.

EMENDANDA.

Dedic. lin. 6. *post* in me *insere* contulit,

Pag. 1. l. 11. *pro* diffidat *lege* diffideat

12. *post* definit. *dele* .

4.	12.	*pro* differtendum *lege* differtandum
14.	13.	Cullen inter alios testes—Cullen, inter alios, teste
	15.	denotant—denotent
16.	19.	videtur—videatur
17.	4.	intestini—intestina
18.	28.	urgerent—urgeant
19.	14.	conali—canali
	15.	contribuunt—contribuant
	17.	purgant—purgent
20.	15.	animali—fossili
	29.	in affectione externa—affectioni externae
22.	17.	quid—unquam

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ERYSIPELATE.

HUJUSCE quum morbi, tametsi saepe occurrentis usui, saepeque etiam mortem afferentis, hactenus natura parum comperta est; quumque medicae peritissimi artis, diversis temporibus, investigationem prosequi dignati sunt, qua de causa, et ipse de eodem pauca explicare statui; quidquam autem, vel penitus novum, vel certum, me allaturum vix affirmare audeo.

Duo in genera inflammationem externam divisit egregius noster Professor Cullen, quorum alterum *Phlegmone*, alterum *Erythema*, vocatur; et quo utriusque externa facies inter se diffidat, accuratissime in Synop. Nosol. Method. definit; nempe,

Phlegmone

Phlegmone rubore vivido; tumore circumſcripto, in faſtigium plerumque elevato, ſaepe in apoſtema abeunte; dolore ſaepe pulſatili *.

Erythema colore rubicundo, preſſione evaneſcente; ambitu inaequali, ſerpente; tumore vix evidente, in cuticulae ſquamulas, in phlyctaenas vel veſiculas abeunte; dolore urente †.

Quod ad Erythema obſervavit idem auctor ‡, nomen Eryſipelas ei, apud medicos ſcriptores, plerumque impoſitum. Cenſet autem, et, ut ego exiſtimo, nec falſo, quum Erythema in duo diſcedat genera, ſua nomina ſingulis tribuenda. Utrorumque revera facies externa eadem, ſed prout partes ſyſtematis reliquas plus minuſve afficiant, poſſunt diſtingui: Altero in exemplo, affectio ſolummodo localis eſt, nulla ſyſtematis praecedente affectione generali orta, ſique eo inclinare in ejus progreſſu videretur, ſicuti in localibus caeteris inflammationibus, pulſus frequentiores reddendo, aliaque febris ſymptomata inferendo, plerumque fit. Eryſipelas autem, initio, ſyſtema afficit totum; corpus, ſcilicet, febre ei, quae Exanthemata ſolet praecedere, haud abſimili, corripitur; neque Erythema, niſi talis febris aliquamdiu ſubſtiterit, in cutis ſuperficie pateſcit, et cum febre, ex qua naſci videbatur, quodammodo conjuncta, curſum ſuum conficit. Huic exemplo, Prof. Cullen, Eryſipelatis nomen ſolum tribuendum, at illi alteri, nomen Erythematis conſtanter imponendum, judicat.

Duo

* Syn. Noſ. Meth. Cull. C. VII. Spec I.

† Ibid. Spec. II.

‡ Vid. Prim. Lin. CCLXXIV.

Duo exempla, quae ſupra memoravi, haud facile, aut certo diſcerni poſſe, nemo inficias ibit; in plurimis autem accuratiſſime licet, quod cum evenerit, haud parum ſcientiam medicam promovebit, ſi aliud alio nomine diſtingueretur.

Propoſito ita explicato definitoque, de Eryſipelate ſtricte ita dicto, diſſerere conſilium eſt; nec ad rem mihi fore videtur, ut varia nomina, vel vetera vel recentiora, quibus appellatum, annotarem, quum, ſingula Erythemati, et Eryſipelati communia fuiſſe, ſatis conſtat. Quare, definitione Culleni prius exſcripta, ad phaenomena morbi, pro virili parte, deſcribenda progrediar.

DEFINITIO.

Synocha duorum vel trium dierum, plerumque cum ſomnolentia, ſaepe cum delirio.—In aliqua cutis parte, ſaepius in facie, phlogoſis Erythema *.

HISTORIA MORBI.

Morbus plerumque cum horrore ingreditur, cui calor unctaque pyrexiae ſymptomata ſuccedunt. Vomitus frequenter, et fere ſemper ſomnolentia, et necnon coma, cum

* Syn. Noſ. Meth. Cull. G. XXXI.

eum comitantur. Pulſus ſemper frequens, et plerumque durus et plenus.

Cum haec ſymptomata duos, tres, vel ad ſummum, quatuor dies obtinuerint, Erythema, in quadam ſuperficiei corporis parte, jam exoritur, et omnia ſigna, in definitione praemiſſa, aſſumit. Curſus tamen et finis eruptionis, pro parte affecta, differunt, ut poſtea memorabo. Quaſvis partes nimirum molliores, brachia tamen, et plerumque crura, mammaſque mulierum, et praecipue faciem utriuſque ſexus, invadit. Quoniam proximo memorato ab exemplo maximum inſtat periculi, ea de cauſa, de hoc praecipue diſſertandum eſt. Prius, tamen, quam initium faciam, pauca in aliis partibus de progreſſu Erythematis narrare haud ſupervacaneum erit.

Cum aliquam partem brachiorum crurumve occupaverit, a primaria ſede, ultro citroque plerumque vagatur, donec cutis totius membri rubore et calore ſuffuſa fuerit: Sed in primaria ſede, praeter Erythema ſuperficiarium, pars ſubtendens quadam phlegmonica inflammatione afficitur, atque ſaepiſſime morbus univerſus in abſceſſum quendam in ea parte, lente ad ſuppurationem vergente, unde ulcus ſanatu ſemper operoſum, definit. Hic autem curſus communis Eryſipelatis phlegmonodaei, ita appellati, quod inferiora vulgo adoritur extrema.

Eryſipelas, cum mammas mulierum invaſerit, eadem phaenomena, ac Erythematis, exhibet; mamma tamen tota multum duritiei adquirit, inde et dolores ad axillam pertendunt; et, ſicuti in membris, affectio phlegmonica etiam ſupervenit, quae in ſuppuratione eodem modo terminatur.

Tam

Tum demum faciei Eryſipelas deſcribendum eſt: Feris talis, ſymptomatibus autem magis violentis, qualis ıpra memorata fuit, fere ſemper praecedit. Somnolenta, ſtupor, et coma gravius, ſimul cum dilirio quodam, ajus plerumque hic urgent. Erythema initio punctum ntum, vel in aure vel in radice naſi, occupat; unde ruor paulatim vagatur, dum totam per faciem diffuſus fuit. Imo nonnunquam inter capillitia aſcendit, et idenlem ad collum ſubſidet; notatu tamen eſt dignum, ut imam reliquerit ſedem, ſimul ac majorem faciei partem rvaſerit. Cum rubor a parte primum correpta diſceſrit, tumoris aliquid, aut faciei turgeſcentia ſequitur, ıae tanta, ut palpebrae nonnunquam penitus claudantur. ec quidem praetermittendum, quod tumores earum rtium ſuppurare, puſque continere, ſaepe obſervati fuent. Porro ſpeciatim obſervandum eſt, quod cum rubor norque, ut ſupra memoravi, ſuper faciem vagentur, mor, eodem tempore, in ſuperficiem ejus in conſpectu tur; hicne ſit nihil aliud, niſi mera exſudatio, pro certo nime habetur; procul dubio, tamen, ex veſiculis ibi ıſpiciendis aliquando oritur. Iſtae, ſcilicet, magnituıis diverſae, quaedam columbini ovi, eruptionem totam vadunt, et ſubflavam tenuem materiam, quae aliquan- emittitur, includunt: cutis infra, admotum quaſi veſiorium fuerat, mucoſo quodam humore cooperta, relintur. Hoc in totam inflammatam partem obtinet, nque, morbo terminato, aër mucum exſiccet, faciem amulis et cruſtis obductam commonſtrat. In quibuſn exemplis, quibus erumpunt veſiculae ampliores, fluiemittunt, cutemque, ut jam obſervavi, quaſi muco vem relinquunt, nonnunquam ſit, ut haecce materies

atrum

atrum et lividum colorem induerit, gangraenae haud multum dissimilem, (quae revera quidem, quamvis rarissime, accidere potest), hicce vero lividus et color subniger, teste Professore nostro, tantum ad mucosam materiam, in cuticularem superficiem diffusam, penetrat.

Hucusque progressum affectionis Erythematicae in facie secutus sum: morbi autem in historia, febri, ex qua eruptio nascebatur, nullam intermissionem fuisse, addere oportet; neque, eruptione facta, gradu fere ullo mitescere, sed totum ejus decursum, supra descriptum, comitari. Immo febris saepissime, simul gravioribus cum symptomatis, comate praecipue et delirio, crescit, septimoque, nono, undecimove die apoplexiam creat. Hic eventus exitialis, translationi morbi a superficie interiores ad partes, a facie, scilicet, ad cerebrum, vulgo attribuitur; et res fortasse se ita habeat. At, Doct. Cullen, se nunquam a facie inflammationem recedere vidisse, observavit, dum, ea causa, cerebrum afficeretur; in unoquoque autem exemplo, dum affectionis cerebri symptomata sese ostenderent, inflammationis progressum in ore nunquam retardari visum; immo quidem aliter; censetque, quoniam haecce signa, ineunte morbo, saepe apparent, et affectionis cursum externae comitantur, injuriam cerebri, non ad metastasin, sed communicationem simul affectionum existentium esse referendam.

In Erysipelatis historia, affectionem externam maxime esse mobilem, adeo ut aliquando prima sede discedat, animadvertere oportet, et jam tum, vel confestim, novam, nonnunquam procul remotam, occupat. Hac de causa, scriptores Erysipelatis translationes ab internis ad partes externas, et e contrario, annotarunt, quae tamen, cui credenda,

:edenda, in hifce regionibus rarius, quatenus egomet ltem vidi, quam in plagis meridionalibus, certe eveni- it. Quamobrem, de conditionibus, aut eventibus talium ccurrentium, compofite differere in me non eft.

DIAGNOSIS.

Multa diagnoftica enumerare fymptomata, quo diffe- ntia inter eryfipelas aliofque morbos magis in aperto fit, pervacaneum fore, nemini latet.

A febre phlegmonica fequentibus rebus diftingui po- t. In Eryfipelate, fomnolentia, vel coma, febri adjungi et, quorum utrumque phlegmonica abeft. Febris in yfipelate primaria eft; et affectionem localem anteca- ; at contra, phlegmonica febris eft folum fymptomati- et plerumque tempori exortus phlegmonis convenit. quid autem dubii de febris natura adhuc relinquere- , varia externarum phaenomena eruptionum, ficut of. Cullen in Methodicae Nofologiae accuratiffime de- navit Synopfi, rem demum manifeftam efficient.

Eryfipelas a fpecifica contagione oriri exiftimatum fuit; huic fententiae compluria funt adverfa: A fingulari imonia in ipfo corpore genita, et in fuperficie cutis ae depofita, oriri verifimilius eft. At febris tamen legmonica, aut ipfe Phlegmon, vix, quidem ne vix, hu- cemodi acrimoniam, quafi caufam, agnofcit.

Hic morbus facile a Rubeola difcriminari poteft, non am tuffi, aliifque fymptomatis infignibus febri morbil- lofae

losae conjunctis, verum etiam forma distincta papularum, earumque universalitate totum super corpus in rubeola, cum in Erysipelate semper eruptiones coalescunt, et quodammodo partem in corporis particularem relegantur.

Erysipelas a Scarlatina iisdem notis, quas jam descripsi, distingui potest, et maxime hujus rubore, qui nunquam admodum eminens in superficiem, sicut Erysipelatis fit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quidam apud antiquos medici haud obscuro nomine, acri biliosoque humori, in massa sanguinis diffuso, Erysipelas ascribebant. Recentiores, tamen, qui rectius, tum ex factis a seipsis observatis, tum pristinorum ex temporum incorruptis monumentis, disceptavere, in longe alias sententias de hoc, juxta ac multis aliis morbis, ire statuerunt.

Causae generaliores hujus morbi remotae, sicut ego existimo, ad duo, quae sequuntur, capita reduci possunt.

1*mo*, Ad causas, quae Erysipelaceam acrimoniam in corpore generare videntur.

2*do*, Ad eas, quae operationem, aditum ad superficiem et, sub speciali cuticulae parte, accumulationem promovent.

I. Quae materiam augere acrem videntur, ex qua Erysipelas generari solet, sunt,

1.

1. In victu errores, quales praesertim ad intemperan-am spectant, quique quodammodo totum systema, prae-pue autem organa, quae in conquoquendo versantur, ebilitant; hinc vires assimilantes nocentur, acresque hu-iores generantur.

2. Frequens et immodicus liquorum spirituosorum us, modo ei haud dissimili, ut opinor, quem proxime emoravi, agentium, certeque multum materiae acris sanguinem inducentium.

3. Evacuationes naturales suppressae, quales nimirum rspirationis urinaeque, quibus systema acribus ab hu-oribus, qui perpetuo in eo gignuntur, expurgari debet.

4. Ulcerum exsiccatio, quae diu obtinuissent, et acri mori exitum praebuissent; ad quod etiam referenda ar-cialium exsiccatio evacuationum, nempe setaceorum et nticulorum, quae, ut quoque diu permanserint, haud um acris humoris emisisse ducantur.

5. Morbidarum repulsio eruptionum a corporis superfi-, quae, ab materia acri, ibi latente, pendere, et desqua-tionis variis in modis abire, conjiciantur.

5. Diuturna sub ardoribus Solis habitatio, quae, et acri-niae perpetuo in corpore generatae incrementum pro-vet, et, ut existimetur, acrimoniam peculiarem praete-multoties creat.

. Quidam morbi, qui semper ex acrimonia in syste-te existente, ut scorbutus, syphilis, cancer, &c. pendere entur.

I. Hae sunt forsitan praecipuae causae, acrimoniam eris praesertim Erysipelacei, quae efficiunt; res autem, e hanc acrimoniam activam reddant, sequentes esse vi-tur;

1. Irritabilitas totius systematis praeter ordinem aucta in quibusdam hominibus, atque, hanc ob causam, morbus Erysipelas ex animi pathematis saepe exoritur.

2. Corpus per occasionem multopere irritatum, ideoque quicquid systema supra modum calefactum incitatumve reddit: Et hoc in modo, nimis in balneis calidis commoratio diuturna, vel sub ardore etiam Solis, Erysipelas produxisse reperta fuit.

3. Systematis plethoricus status, tum ex pleno victu et vita sedentaria, cum ex naturalium evacuationum sanguinis suppressione, ut in mulieribus catameniae, aut ex sanguinis jactura usu contracta, ut fluxus haemorrhoidalis, vel haemorrhagiae cujusvis in alterutro sexu.

4. Erythema superficiem corporis afficiat, si quid acrius adhibeatur; at, num talia externe admota, symptomata Erysipelati exanthematico propria exhibere possunt, quaestio est perobscura et solutu difficilis. Celeb. noster Professor hoc evenire posse opinatur, quipote Erysipelas faciei, vesicatorio pone aurem admoto, cum singulis symptomatis procedere ipse vidit: Hoc autem tam rarissime occurrit, ut vix pro certo affirmare potest, Erysipelas, proprie ita dictum, quidquam acrius externe adhibendo, commovendum esse.

Si quando Erysipelas, aut saepe ex contagione oriatur, ut inquirerem, res ipsa admonet. Rem sese habere, complures medici ita censuere et affirmarunt: Mihi tamen maxime in incerto habetur; publice enim grassari rarissime videtur, quum exempla sporadica satis multiplicantur. Professori Cullen, decem per cursum lustrorum, plurima hujus morbi exempla occurrebant, et quorum unumquodque in familiis privatis, quod ei videndi copia erat, unicum

um solum afficiebat ; neque contagio impertiebatur, ommeatus etsi sanos inter et aegrum et liber et, frequens erat.

In Nosocomiis tamen, Erysipelas, quod unum initio afecerat, multis aliis intra eosdem parietes, evenit communicatum fuisse. Inde num deducendum hanc esse contaonem cui aliarum contagionum vis specificarum inest, aeque in more solito eandem vim exserit, an morbum, is cum conditionibus, ab rebus externis applicatis, ideoe ex effluviis in locis clausis, neque perflatis, ab aegro rysipelatis exhalatis, et adflantibus transvectis, ortum e, in medio relinquam.

Addere tamen opus est, si Erysipelas a peculiari contaone pendeat, eodem modo, quo fere reliquae contagies specificae haudquaquam operari, i. e. semel tantum vitae decursu quemvis afficere posse. Erysipelas, enim mini latet, eundem saepe, dum vivitur, affecisse. Quare cumenta ampliora magisque manifesta erunt necessaria, ibus epidemica contagiosave natura, inter homines odam intervallo disjunctos, confirmetur.

CAUSA PROXIMA.

Haec, quatenus ad externas facies pertinet, a causa inmmationis in genere, ni fallor, nihil omnino differt, npe, sanguinis impetus auctus in partis vasis affectae, actione adaucta hisce in vasis excitata. Quum tamen c, a congestione ista vasa obtinente, vel ab acrimonia licata, excoriatur, prior, ut opinor, plerumque phlegmonis,

monis, posterior autem, fere semper Erythematis Erysipelatosi causa est. Quoniam observavimus toties acrimoniam admotam Erythema gignere, non dubitandum, quin Erythema in Erysipelate occurrens, ab acrimonia inducta, vel in systemate procreata, pendet. Haec acrimonia initio febrem gignit, et postea, in cutis superficie posita, Erythema edit. Proxima igitur causa inflammationis, quae hic occurrit, est conditio vasorum inflammatoria, quae ab admota acrimonia iisdem inducta fuit; Ita, quamvis, differentiam phlegmonicam inter et Erysipelaceam febrem a causa, constitui, conditionem systematis inductam plerumque esse eandem, medicamentaque eadem applicanda, inficias non ibo. Exempla, tamen, quaedam memorantur, in quibus acrimonia Erysipelas inducens est natura putrida, qua totum systema subputridum redditur. Hujuscemodi affectiones, remedia longe alia, quam febris inflammatoria, sibi postulant.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pyrexiae symptomata, vel antecedentia, vel, uti quibusdam de exemplis affirmatum est, simul incidentia cum principio et primo localis affectionis exortu, acrimonia, per totam sanguinis massam diffusa, explicari videntur.

Durus, sed praecipue pulsus plenus, a phlogistica diathesi, quae systema obtinet, et quae nimirum, tam acrimonia, quam congestione potest excitari, procedit.

Rubor,

Rubor, tenſio, et turgeſcentia, quae, ex aliqua parte, currunt, ex arteriarum aucta actione, ſanguinem in a extrema propellentium majore copia quam facile nſmitti poteſt, oriuntur.

Doloris ſenſus neque pulſatilis, neque pungens, quia ſcula affecta, propter exilitatem, plenam pulſationem nime admittunt; ſed ſenſus quaſi exurens, ſicuti in is exemplis, quibus acrimonia obtineat, ab acri mate- effuſa, nervos delicatiſſimos irritante in ſuperficie cutis, tur.

Somnolentia, coma, et delirium, praeſertim quae Ery- elas faciei comitantur, connexione externa inter et in- na capitis vaſa, quia rami ejuſdem ſtirpis, explicanda; oque acrimonia, alicui parti admota, communi etiam nco ſtimulo ſit, et ea de cauſa ſanguinis impetum in verſis ramis augeat.

Quamobrem alia corporis pars facilius alia afficiatur, cur Erythema, in una parte potius, quam tota ſuperfi- appareat, quibuſdam praediſponentibus, etſi parum gnitis, rebus, in parte affecta, jure fortaſſis attribua- . Receptus ſanguinis ſolitus in ruboribus, ineuntibus oribus, et in omnibus morbis, quibus eruptiones obti- nt, quodammodo rationes praebet, cur faciem potiſſi- m Eryſipelas invadat.

Quod Erythema a primaria ſede ad vicinas partes va- ur, tenui acrique fluido ſub cuticula ſerpenti attribua-

Cum fluidum ejuſmodi in uno accumuletur loco, nec ad vaporem redactum, ut per cuticulam tranſire poſ- tantum accumulari oportet, quantum eam a cute vera arare ſat erit, et eo veſiculae fiunt.

Si

Si hoc in partibus eveniat, ubi cutis vera, ſicuti in palpebris, eſt maxime tenuis, materia in texturam cellularem penetrat nonnunquam, ibique in pus convertitur.

Cum Erythema aliquam crurum partem invadat, cumque ſimul ſuppurationes ſub cute adſint, hae, ni fallor, acrimonia Erythematica cutis ſubſtantiam irritante, et in ſuperficie interna inflammationem et materiem in pus convertendam generante, explicandae. Quod ex his ſuppurationibus ulcera maligna orirentur, miſturae materiei mutabilis, et partim non mutabilis, in pus ſincerum, nimirum attribuendum eſt.

EVENTUS MORBI.

Quum cerebri affectiones in unoquoque morbo plus vel minus periculi ſequitur, ſic etiam in hoc. Inde, Cullen, inter alios, teſte, diſcimus hujus morbi eventum a ſtatu ſymptomatum, perinde uti denotent ejus organi affectiones, praevidendum eſſe. Si coma et delirium initio morbi ſeſe oſtenderint, ſique tum admodum ſint gravia, ſummum periculum eſt metuendum; quippe in morbi progreſſu ſaepe augentur, et aeger ex apoplexia moritur, ut jam in hiſtoria memorabatur. Si vero, nec dilirium, nec coma adeſſet, febrilium ſymptomatum vis, brevi poſt eruptionem, dilabitur, uſui remediorum cedit aptorum et regiminis, hincque parum periculi ex morbo metuendum eſt.

Si

Si putredinis ſigna (quod nonnunquam fit), Eryſipelas mitantur, eventus in incerto habebitur, perinde ac im-tus, aut vis putredinis ſint ſymptomatum. Morbi itus etiam erit dubius, cum affectio Erythematica pri-iriam ſedem relinquere, et ad alteram vitae utiliorem nsferri velle, videatur.

Denique, hunc morbum tantum periculi ſequi habetur, antum aliorum morborum ſuperveniat, unde vitioſam ectionem humoribus aut ſolidis corporis communicatam ſtimaretur. Hujuſmodi ſunt, ſcrophula, ſcorbutus, hilis, et, ut nonnulli putant, cancer. Conſtitutio ex-ſitim irritabilis, ſuper quam actio inflammatoria non-nquam vires ſuas acerrime exercet, quoque multum criminis fert; nempe, quae, vitae defecta vi, vaſtatio-us gangraenae in topica affectione occaſionem prae-t.

METHODUS MEDENDI.

um cauſa et Eryſipelatis proxima, eaque febris phleg-icae prorſus eadem ſit, ut indicationes curatoriae, ſi-ego cenſeo, ſimiles eſſent, oportet.

ndicatio igitur juſta in morbo, de quo diſſero, ea, quae itur, eſſe videtur; ſcilicet,

hlogiſticam diathesin, quae ſyſtema afficiat, ſubmo-.

Syſtematis

Syſtematis actio arterioſi violenta compeſcatur, aut in aliis verbis, phlogiſtica diatheſis, ex aliqua parte, ſubmoveatur, irritantia plerumque corpori admota auferendo, vel ſaltem minuendo; ad haec evitanda vel moderanda, id, quod vulgo antiphlogiſticum regimen appellatum, efficit.

In Eryſipelate, igitur, morbo, in quo affectionem valere inflammatoriam creditur, antiphlogiſtica medicamina, quadantenus et apta et neceſſaria eſſe, facile concedetur. Hujuſce regiminis adminiſtratio in praeceptis, quae ſequuntur, obſervandis, ſita eſt.

Ab quocunque externos movente ſenſus, quippe quod ſyſtematis actionem ad ſuſtinendam conferat, diligenter cavendum. Impreſſionum hujuſmodi princeps eſt calor externe admotus, vel corpore in ipſo accumulatus.

Cujuſcunque ab motu generis, ejus praecipue, quo complures ex muſculis ad agendum impelluntur, quum plus minus ſtimulet, etiam cavendum; eaque poſitio, quae minime muſcularem ad actionem conferre videatur, aſſumenda. Hic tamen obſervandum ſit, quod poſitus recumbens vel pronus, hoc in morbo, ſaepenumero minus aptus; forte enim, cum caput doleat, aeger toties quodammodo erigendus, quoties pati poteſt. Impreſſiones, cogitationem, loquacitatem, et mentis agitationes excitantes, rectius evitantur. Ablegentur igitur lux vivida, acuti ſubitique ſoni, colloquium abſurdum ineptumve, ſimiliaque. At, hoc non obſtante, tamen aegroti, delirio ſuperveniente, rebus antea familiaribus mentem intendere, ſi modo prudentia et ſolertia fiat, haud ſupervacaneum eſſet *.

In

* Vid. Cull. Prim. Lin. CXXX.

In adminiſtrando cibo cura etiam adhibenda. Nil niſi ıod tenue, facile concoctu, nec acrimoniam generans, c ad putrefactionem proclive, quo ventriculus vel in-ſtin[a] ſtimulentur, apte hic convenit. Sitis ſenſui ſatiſ-ciendum, quatenus ſaltem aegro ſaluti ſit. Liquores ındi et diluentes nimirum in hoc morbo maxime utiles. imis viis corrupti et acres humores, vel materia fae-lenta exhaurirentur, ne quid irritamenti inde orire-r.

Stimulus omnium, hoc in morbo, fere periculoſiſſimus acrimonia in fluidis exiſtens. Quomodo haec gene-ur et augetur, ſub remotarum cauſarum capite jam il-tratum: modus, tamen, irritationi moderandi, vel ejuſ-n effectibus obviam eundi, ad hunc locum pertinet. icunque hujuſmodi igitur acrimonia, quae vaſcula tat, inflammationem ſuſtinetque, certe explorari po-, emolientium uſus clare indicatur. Haec, diluentia, ndos liquores, mucilaginoſa et olea mitia, complectun-. Auctor accuratiſſimus, ingenioſuſque, hanc remedi-ım claſſem commemorans, obſervationem profert ſe-ntem: ‘ Minime enim negari poteſt, humores corpo-s humani, natura aliquantum acres, variis de cauſis, ıterdum majorem atque nocivam adipiſci acrimoniam, quod eodem,’ &c. Poſtea addit: ‘ In hoc igitur ſta-ı perſpicuum eſt, omnes potus tenues et blandos, va-aſque res oleoſas et mucoſas, opem eſſe latura; omnis ım acrimonia multum diluta, debilior, et tandem i-rs fit *.’

* Vid. Greg. Th. Med. p. 9. 365.

Res oleosae tamen caute adhibendae, praesertim si concoctionis functio aliquo modo imminuatur; quia tunc in ventriculo rancidae fieri aptiores, hincque vim irritamentorum augere.

Altera medicaminum classis huic indicationi accommodata, eas potestates, quae violentam systematis sanguiferi vim, sedativa potentia, diminuunt, complectitur. Earum primum maximeque generale est frigus. Quousque haec vis quasi sedativa frigoris adhibeatur, aut quo in statu rerum, quod ad febrem habitumve corporis, admitti debet, haud satis compertum habemus. Hoc tantum hodie nemini occultum, quod in quibusdam aliis exanthematis frigus, nec frustra, adhibitum fuit.

Ad hoc caput, medicamenta, Refrigerantia appellata, referenda sunt; talia, acida omnigena, et praesertim vegetabilia; sales neutri, ii praecipue, qui alkalina basi gaudent, quorumque nitrum plerumque anteponitur.

Quum in hoc, sicuti in caeteris inflammatoriis affectionibus, systema sanguiferum praeter naturam toni, tensionis, et vigoris, gradum possidet, missio sanguinis, ad haec minuenda, multum contulisse semper aestimata. Neque quidem remedium est ullum, quo, hoc consilium, tam efficienter tamque celeriter satisfieri potest. Quantum sanguinis detrahendum, perinde ac symptomatum violentia, pyrexiae praesertim et illorum quae cerebrum affectum denotant, esse opportet. Si turgida sit facies et suffusa, si pulsus plenus et durus sit, et praecipue si coma et delirium urgeant, ad ullum morbi stadium, missio licita sanguinis est. Plerumque tamen praestabit, in calidis praecipue regionibus, ut etiam in hac latitudine

per

er ardores aeſtivos, parvulum ſanguinis uno tempore ıntum detrahere, ſed operationem repetere, quoties ex mptomatis neceſſaria eſſe videatur. Cauſae natura reıotae, aegri conſtitutio, uſus ſanguinis amittendi antea in odem, aliiſve morbis, plerumque medicum, quod ad anc operationem, dirigere, ſat erit.

Laxantia et remedia purgantia ad vim atque tenſioem arterioſi ſyſtematis minuendas optime accommodanır. Haec bifariam, in hoc morbo, operari videntur; *rimo,* Ad inteſtina humores illiciendo, et excretiones ab teriis non ſolum augendo, ſed etiam mucoſos plurimos lliculos ibi locorum poſitos evacuando; *Secundo,* Indutas faeces, et corruptos vel acres expellendo humores, ıi forte canali adſint inteſtinali, et qui irritationem, jam ſtemati allatam, ſuſtinere contribuunt. Laxantia, quiıs in hoc morbo uti licet, ſunt oleum ricini, ſulphur, taarindi, &c. Medii ſales, quippe qui tum purgent cum dent, ſi cathartica fortiora neceſſaria, apte adhibeanr.

Medicamina ad ſuperficiem corporis, quae humores iciunt, neque calorem, neque irritationem jam nimiam, ıgeſcunt, huic morbo maxime accommodantur. Huſmodi remedia et adverſus ſpaſmum vaſorum extremoım valent, et foras mittunt per poros cuticulares mateem acrem, quae, ſubter cuticulam poſita, inflammatioem generalem aeque ac topicalem promovet. Hoc conio, diluentia, atque ſales medii, in multa aqua ſoluti, lhibeantur.

Fomentationes inferioribus extremis admotae, multum ommodi, praeſertim ubi humorum aucti curſus ad caput

ſigna

signa sunt manifesta, pollicentur. Licetne, in typo Erysipelatis communi, vesicatoria unquam applicare?

Hucusque de Erysipelatis curatione, uti in hac aliisque frigidioribus regionibus plerumque occurrit, disserui. Quum tamen, putrida febris et typhus aliquando hunc morbum comitantur, aut assequuntur, quumque in talibus exemplis, medendi methodus supra exscripta, non solum nil profutura, sed plerumque nocitura; ut considerarem igitur administrandi modum hos casus, quam brevissime potero, res ipsa admonet. Consilium hic instituendum est, debilitati occurrere, et a proclivitate fluidorum ad putredinem praecavere.

Remedia, quae ad debilitati occurrendum pertinent, inter tonica et stimulantia reperiunda sunt.

Tonica, aut ex regno animali, aut vegetabili plerumque obtinenda. Frigus, uti tonicum, quidem, vehiculo aëre vel aqua, tum veteribus tum hodiernis nec infeliciter, nonnunquam solitum adhiberi. Hujus tamen facilis administratio tutaque vix adhuc, in unoquoque exemplo, satis accurate fuit definita. Tonica ex fossilibus numerosissima sunt; multa autem commendatione dignata, neque tuta tamen, neque operatione admodum certa. Vegetabilia tonica frequentius et plerumque felicius adhibita fuere. Horum princeps est cortex Peruvianus, qui, in plerisque morbis ex debilitate pendentibus, diu remedium quasi specificum habebatur, praecipue in gangraenis. Ergo isti statui Erysipelatis, quo non solum debilitas, et in fibris muscularibus toni defectus, plurimum valent, verum etiam in affectione externa, ubi ad gangraenam inclinatur, optime accommodatur.

Stimu-

Stimulantium in hac Eryſipelatis conditione, ſicuti in orbis ſimilibus, optimum eſt vinum, quod exhauriri li-rius oportet ut ſalutiferum efficiatur. Opium ſimul ud infeliciter adminiſtrari poteſt, praeſertim, ſi delirium leve, et nulla veſtigia diatheſis inflammatoriae adſint. Proclivitati in fluidis ad putredinem, aëre libero et pu- in aegri cubiculum admiſſo, excretionibus ſudoris et inae auxilio, praecipue diluentium, ſuſtinendis, atque re-ediis antiſepticis, occurrendum eſt. Generoſi vini, una m cortice, poculum ſaepe laete ſuccedet. Cibi animalis, bus ita ſe habentibus, uſus apte evitandus. Si alvus ſtricta, ſive catharſis ſub morbi initium neglecta fuerit, minare laxantibus acria ejus contenta plurimum profi-t.

Cum in hoc morbo ſemper adſit externa topicalis affec-, quae, in compluribus exemplis, ſymptoma eſt om-m aegris moleſtiſſimum, quare varia externe admoven- in medio chirurgi protulere. Nullius fere omnium tenus innocentiam, nedum utilitatem, adhuc experien- confirmavit. Hinc medici plurimi pleraque eorum, caſſa, vel noxia, repudiavere. Narcotica, refrigeren-, et aſtringentia, ad gangraenam perducere aiunt, lotio- ſpirituoſas inflammationem augeſcere, et res oleoſas, aquoſas, affectionem latius diffundere affirmant. Deni-, vix morbus ullus, in dilectu et uſu medicaminum to-orum, tantum difficultatis et confuſionis, quam Eryſi-as, attulit.

Pulveres medicati Hoff. multum laudantur, et in ejus tentiam complures recentiorum pedibus ivere; hac ta-n differentia, quod hi, quale pulveris ſit genus, modo ccandi materiam exſudantem facultatem teneat, nil

penſi

pensi habent. Dr Kirkland, qui de hoc morbo inter novissimos scripsit, multis verbis, pulverum aridorum usum reprehendit, affirmatque se ipsum vidisse, in plurimis exemplis, injuriam manifeste consecutam. Ab eodem auctore accepimus, se perpetuo, triginta annos et supra, refrigerantibus et emollientibus usum esse, et nunquam secus praxi evenisse, quid eo rationis eum poeniteret.

Anglici quidam artem medicam exercentes nuper dictitavere, brassicae folia novissime detracta, eruptioni erythematicae, haud incassum, admota. De hac re tamen, in quo virtus poni potest, mihi equidem exploratu haud facile videtur.

Denique, haec affectio topicalis, caeteris ab eruptionibus symptomaticis, quibus, morbo primario sublato, multae applicationes neque admittendae, neque necessariae sunt, parum differt. Aridi pulveres, quum plerumque innocui, loco igitur admoveantur; et si ~~quid~~ aegro subvenirent, materiam acrem effusam exsiccando, verisimile sit, quia impediunt, ne corium consumeretur, aut vasa subjacentia irritarentur.

Gangraenae et sphacelo, si acciderent, feliciſſime ab internis remediis occurritur. Si suppuratio obtineat in parte affecta, maligna ulcera plerumque sequentur, quae modo chirurgico prorsus sunt administranda.

Hoc opusculo jam ad finem perducto, summum animi sensum grati, ob plurima beneficia, ab illust. Professore, Medico solertissimo, spectatoque viro, *Cullen*, erga me facta,

hanc

nc occaſionem palam praedicandi laetiſſime amplector ; o, medicae artis facile principe, qui nomen honeſtiſſimum e ſuopte ingenio ſibi acquiſivit, quique in praeſtantiſſi-s ſcriptis, et in omnium memoria, queis amicitiae mmodis frui contigit, maxime obſervatus honoratuſque ı vivet.

In hoc loco quoque, celeberrimum *Black*, cujus privatis neficiis, aeque ac praeceptis accuratiſſimis publicis, ıxime obligatum teneri confiteor, ſilentio praeterire de puderet.

F I N I S.